

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis.

De Symboli Apostolorum origine.

Quo potissimum consilio in nostris mediis quae dicuntur scholis veterum Graecorum Latinorumque opera sint paelegenda.

Alma Domus lauretana.

Paroemiae sive Adagia. — Alienam metere messem. — Penelopis telam retexere. — Annosam arborem traplantare.

De Stephano, Christi Martyre primo.

Ex Italibz urbibus. De maximo artium certamine Augustae Taurinorum.

Ex Columbula. Tarcisius, actio dramatica I. B. Francesia in nostro Commentario edita, apud Columbianos in scenis acta.

Acta Pontificia. — SSmi. Dni. N. Pii PP. X allocutio habita in S. Consistorio d. xxvii mens. Novembris MCMXI.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. — Ex Congregatione Concilii.

Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones.

Annales: Bellum inter Italos atque Turcas. — Sinensis rebellio. — Russici imperii cum Perside disserimen.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Mundanum scientiae sodalitium. Quaestiones ad Coetum Latinum propositae.

Aenigmata.

Appendix: Euplius.

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Vocis *Urbis* nostraræ fasciculum hunc, anni XIV ultimum, prelo mandantes, facere non possumus quin intima delectatione commoveamur. Quis enim nostrum, opus aggrediens, quod inde temerarium iudicatum erat, inde sceptico etiam risu salutatum, maxima licet fide suffultus, crederet fore ut tertium vitae lustrum attingeremus? Atqui res iam est eventibus comprobata; iisque non infaustis, si et sibi Commentarius noster prospicere valuit; valuit et Latinae rei, cuius fortunam, nostris praecipue diebus, tot tantisque oppositionibus obnoxiam, pro viribus tueri conati sumus.

Verum quid faceremus, si nostrorum Sociorum favore et gratia essemus destituti? Si ipsi, quorum plures vel a nostris incunabulis adnumeramus, indesinenter non comitati essent gressus nostros in via? Sint iis igitur ante omnia hodie pro meritis gratiae; sit etiam eorum studium, quo adiuti nunquam non fuimus, pignus futuri patrocinii, cui unice, ut elapso tempore, sic in posterum confidemus.

Quod autem ad nos attinet, certiores eos volumus nos assidue curaturos ut *Vox Urbis* nostra illud sit semper radiationis centrum, quod animos usque a remotissimis orbis partibus amice cum Romae almae matris animo coniungere valeat. Quod quidem, ut antea praestitimus, proximo quoque anno perficiemus scripta edentes, quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes; a litteris, ad simplici et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latina inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas a S. Congregationibus positas; haec omnia ut quisquis vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus, altero ab altero difformis, per commentarium hunc explere desideria sua possit.

Quo autem sociorum animus nobiscum magis ad operandum sollicitetur, conferentur quoque sub anni MCMXII exitum singularia praemia duorum numismatum argenteorum ex iis, quae Pontificis

Maximi iussu quotannis in festo Apostolorum Principis cudi solent Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda; eruntque pro sociis illis, quorum sive carmine sive soluta oratione scripta per annum in commentario vulgata, a doctorum virorum collegio, ad hoc constituto, commendata maxime fuerint.

Societas insuper Romana Editrix, quae *Vocem Urbis* nunc possidet atque administrat, etiam nunc *cumulativam*, ut aiunt, *subnotationem* concedit cum Italicis ephemeridibus a se editis *Corriere d'Italia*, Romae et *L'Avvenire d'Italia*, Bononiae; ita ut, si quis earum subnotator exstiterit, is *Vocem Urbis dimidiato pretio habere possit*.

Quod quidem pretium nullam immutationem a superiore anno patietur; *erit scilicet in Italia libellarum sex; ubique extra Italiam libellarum novem* (*Doll. 1,80; Sch. 7; Marc. 7; Rubl. 4; Coron. 9*).

* * *

A profusis vanisque verbis omnino abhorrentes; eximias formas quas iamdiu animo conceptas habemus sequuti, atque consensu sociorum et lectorum nobis non defuturo confisi, ad annum XV vitae nostrae sic properamus; quem bonum faustum felicem iis omnibus praesertim, qui cooptis et nisibus nostris favent, una nobiscum liceat ominari.

DE SYMBOLI APOSTOLORUM ORIGINE

Duobus primis Ecclesiae saeculis, in rebus ad fidem pertinentibus, loco vocis «Symboli» voces «Regula fidei, doctrina, traditio, regula veritatis, traditio Apostolorum» adhibitae fuere. Vox «Symbolum» apud Tertullianum (1) invenitur, dum scribit: «Edas velim nobis quo *symbolo* suscepereis apostolum Paulum?»; sensus tamen vocis non clare liquet, quum Tertullianus ipse ad fidei regulam indicandam voce «Tessera» alibi utatur. Inquit enim (2): Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit». S. Cyprianus quoque «Symboli» voce usus est, dum scribit (1): Eodem symbolo quo et nos baptizare... Non esse unam nobis et Schismaticis Symboli legem». Saeculo quarto Ecclesiae, «Symboli» vox ad *Credo Romanum* indicandum adhibetur, duoque significavit: 1^o *notam* vel *tesseram* qua veri christiani a falsis distinguebantur, ex quo verba: «Symbolum discite, Symbolum nosti»; 2^o *collationem* quamdam: «Quod enim graece Symbolum dicitur, latine Collatio nominatur. Collatio ideo, quia collata in unum catholicae legis fides Symboli colligitur brevitate» (4). Ad rem *Catechismus Romanus* (P. I, c. 1, q. 3) ait: «Christianae fidei et spei professionem a se compositam, Apostoli Symbolum appellarunt, sive quia ex variis sententiis, quas singuli in commune contulerunt, conflata est, sive quia ea veluti nota et tessera quadam ute- rentur, qua desertos et subintroductos falsos fratres, qui Evangelium adulterabant ab iis, qui vere Christi

militiae Sacramento se obligarent, facile possent internoscere». Hodie per *Symbolum fidei*, *Symbolum Apostolorum*, intelligitur, quod quidem a theologis definiri consuevit «Summae articulorum fidei, qui omnibus credendi proponuntur», vel «Sententiarum fidei collectionem» (1).

Vulgo in Ecclesia de tribus Symbolis: Apostolorum nempe, Nicaeno, Athanasiano fit sermo. *Symbolum Nicænum* a Synodo Nicæna I^a (325) originem dicit ac contra Arium eiusque asseclas Divinitatem nec non Aequalitatem Filii cum Patre defendit. *Symbolum Athanasianum*, S. Athanasio tributum fuit, sed Athanasii opus non est; quum tamen ab utraque Ecclesia, Occidental et Orientali, ut auctoritas suscipiatur, vera est fidei definitio. Mentio huius symboli non fit ante saeculum VII, vel ad summum VI, quumque haeresim Eutychianam respiciat, videtur saeculo V exeunte conscriptum. Auctor latinus quidam fuit scriptor incertus, sed et graece habetur. Plures vetusti codices appellant auctorem huius symboli Anastasium PP. (496-498): «Fides Anastasii catholica, Symbolum Anastasii». (2) Difficultas remanet solummodo circa Symboli Apostolorum vel «Credo Romani» originem, quam solvere in praesenti conamur.

* * *

Scriptores quidam ecclesiastici IVⁱ et Vⁱ saeculi, «Credo Romano» apostolicam tribuerunt originem. S. Ambrosius (+ 397) scribit: «Sed si doctrinis non creditur sacerdotum... credatur *Symbolo Apostolorum*, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat». (3) Tyrannius Rufinus (+ 410): «Tradunt

(1) *Adv. Marc.* 1, 5 c. 1. MIGNE 2,500.

(2) *De Praescript.* 36 M. 2,60.

(3) *Epist.* 76 ad *Magnum M.* 3,1143.

(4) Cf. *Serm. Suppos. inter Opera S. Augustini* - MIGNE 39 serm. 261 c. 2190.

(1) BILLUART, *Summa t. V. a 7. S. THOMAS II^{ae} I, 9.*

(2) DENZINGER *Enchiridion XVIII. Symbolum Athanasianum.*

(3) *Epist.* 42 n. 4 M. 16 c. 1174.

— inquit (1) — maiores nostri... Discessuri (Apostoli) itaque ad invicem, normam sibi prius futurae praedicationis in commune constituant... Breve istud futurae sibi... praedicationis iudicium, in unum conferendo quod sentiebant unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis et iustissimis caussis appellari voluerunt. Symbolum enim Graece et indicium dici potest et collatio, hoc est quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in unum conferendo unusquisque quod sentit ». S. Hieronymus (+ 420): « In Symbolo — scribit — (2) fidei et spei nostrae, quod ab Apostolis traditum non scribitur in charta et atramento ». In quodam Sermone S. Augustino (+ 430) tributo legitur (3): « Decimo die post ascensionem, discipulis pre timore Iudeorum congregatis Dominus promissum Paracletum misit: quo veniente *Symbolum* composuerunt. Petrus dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem... Creatorem caeli et terrae... Andreas: Et in Iesum Christum Filium eius... Unicum Dominum nostrum... — Iacobus dixit: Qui conceptus est de Spiritu Sancto... Natus ex Maria Virgine. — Ioannes dixit: Passus sub Pontio Pilato... Crucifixus, mortuus et sepultus. — Thomas dixit: Descendit ad inferna... Tertia die resurrexit a mortuis... — Iacobus dixit: Ascendit ad caelos... Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis... — Philippus dixit: Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. — Bartholomeus dixit: Credo in Spiritum Sanctum. — Matthaeus dixit: Sanctam Ecclesiam catholicam... Sanctorum communionem. — Simon dixit: Remissionem peccatorum... — Thaddaeus dixit: Carnis resurrectionem... — Matthias dixit: Vitam aeternam ».

Non aliter Medii aevi, posteriorumque saeculorum theologi: « Symbolum autem Apostolorum — inquit Angelicus (4) — quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata ». Suaresius imo concludit (5), « graviter errasse nonnullos, qui se catholicos profitentur, in dubium revocantes an hoc symbolum Apostolicum sit, quum nullam rationem dubitandi habere potuerint contra tot Patres, et universalem traditionem ». Hinc Catechismus Romanus (6) ait: « Apostoli... Christianae fidei formulam componendam censuerunt: ut scilicet id ipsum omnes sentirent, ac dicerent, neque ulla essent inter eos schismata, quos ad fidei unitatem vocassent, sed essent perfecti in eodem sensu et in eadem sententia ».

Saeculo XV, traditio haec interrupta fuit, episcopis latinis ac graecis Ferrariam et postea Florentiam petentibus, ad Concilium habendum. Siquidem quum Latini Symboli Apostolorum auctoritatem adduce-

rent, Graeci, duce Marco Eugenico, responderunt, « se neque habere, neque cognoscere Apostolorum Symbolum ». Laurentius Valla (+ 1457), eodem saeculo circa *Credo latini apostolicam* originem dubium ingessit, atque saeculo XVII Iacobus Usserius (Usser + 1656) contra traditionem recensitam librum « *De Romae Ecclesiae Symbolo*, etc. » scripsit. Saeculo XIX et nostro, in Suetia C. P. Gaspari (1) (+ 1892); in Anglia Burn (2); in Germania Harnack, Zahn et Bäumer (3); in Gallia Batifoll (4) et Vacandard, (5) originem apostolicam *Credo Romano* denegarunt.

**

Si modernorum investigationibus fidem adhibeamus, circa *Romani Credo* originem, conclusiones huiusmodi tenendae forent:

I. — a) Denominatio « *Symboli* » non fuit ab Apostolis *Credo Romano* tributa, quia duobus saeculis prioribus Ecclesiae, ea denominatio non adhibetur, illiusque loco, penes ecclesiasticos scriptores expressiones « Regula fidei, doctrina fidei » etc. uti vidimus, inveniuntur, et si quandoque vox « *Symbolum* » adhibetur, diversa est huiusmodi vocis significatio.

b) *Credo Romanum*, quoad substantiam, idest quoad veritates creditas, ab Apostolis est, quum in Apostolorum scriptis eadem veritates fidei exprimantur. Nonne in S. Paulo (6) legitur: « Coram Deo qui vivificat omnia et Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato... Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse a mortuis... Qui iudicaturus est vivos et mortuos »? Nonne in S. Ioanne (7) legitur: « Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo... Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei »?. Nonne Philippus (8) antequam eunuchum baptizet, postulat ab eo: « Si credis et toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Iesum Christum »?

c) Traditio qua, anteactis saeculis, quidam moti, « *Symbolum* » ab Apostolis compositum fuisse crediderunt, nonnisi pia quaedam legenda reputanda est. Huiusmodi enim traditio recens est, cum Rufino incipit, partialis est. Sanctus ipse Augustinus (9) circa verba *Symboli*, scribit: « Ista verba quae audistis, per divinam Scripturam sparsa sunt: sed inde collecta et ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria labaret ». Si ab ipsis Apostolis *Symbolum* compositum fuit, inexplicabile foret 1^o, quare inter canonicos libros non adnumeratur; 2^o, quare ab Oriente, praesertim ab

(1) *Ungedruckte unbeachtete, und wenig Quelle* etc.

(2) *An Introduction to the Creeds* etc.

(3) *Materialien zur Geschichte und Erklärung d. alten röm. Symbols* etc.

— *Das apostolische Symbol — Das Apostolische Symbol, seine Entstehung* etc.

(4) *Le Symbole des Apôtres* Revue Bibl. 1894.

(5) *Etudes de Critique — Les origines du Symbole des Apôtres*.

(6) I. Tim. vi, 13; II. Tim. ii, 8; IV, 1.

(7) I. Epist. iv, 15; v, 5.

(8) Act. viii, 38-39.

(9) *De Symbolo* c. I. M. 40,628.

(1) *Comm. in Symbol. Apost.* 2. M. 21, 337.

(2) *Epist. ad Pammachium* n. xxviii M. 23, c. 396.

(3) Migne 39 *Serm.* 260 c. 2189.

(4) II. — II^o p. I. 9 ad 1.

(5) *De fide Disp.* II. Sect. V, 4.

(6) P. I. c. I. q. 2.

Hierosolymitana Ecclesia, ignoratur; 3^o, quare Ecclesia, quae in rebus fidei ad traditionem apostolicam pertinentibus asservandis semper tenacem se praebuit, pluribus vicibus, « Symbolum » adiectionibus subiecit. Qua enim diligentia, quave veneratione illud custodivisset Ecclesia, si ab Apostolis ortum esse sciret? Fortisan dici potest, legendam hanc ab Oriente ortam esse saeculo tertio, propter verba quaedam, in libris apocryphis quibus titulus est: *Constitutiones Apostolicae* (364-378), *Didascalia Apostolorum* (saec. III), contenta, in quibus de Apostolorum conventu in Ierusalem neconon de fidei professione ab illis composita sermo fit. Rufinus ipse forsitan legendam huiusmodi transcriptam perpolivit, amplificavitque, perpoliverunt et amplificaverunt postea scriptores posteriores, uti Cassianus (+ 425) Faustus de Riez (+ 485) S. Isidorus (+ 646) S. Ildephonsus (+ 669) (1).

a) Symbolum saeculis tertio et quarto ab Ecclesia adhibitum fuit, non tamquam fidei regula, sed tamquam orthodoxiae pignus, vel signum veros a falsis christianis distinguens. Ecclesia videlicet utitur « Credo » pro ipsis catechumenis, in praeparatione ad sanctum Baptisma, ante cuius susceptionem, in Sabbato sancto, septem dabantur *scrutinia*, in quorum primo « electi » nomen dabant, in alio *Symboli traditio* habebatur. Hinc leguntur verba: « Symbolum discite... Symbolum nostis quia scribi non solet ». S. Augustinus (2) nobis refert, quomodo « Victorinus quondam rhetor Urbis Romae... doctissimus senex, et omnium liberalium doctrinarum peritissimus... ut ventum est ad horam profitendae fidei », *Symbolum reddidit*, non « secretius » sed « publice ». Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum collaetantium: Victorinus, Victorinus! ».

II. — a) *Credo Romanum* prouti formula quaedam fidei est, quo modo hodie existit, primo Ecclesiae saeculo non viguit. Siquidem eo saeculo, nec una vice penes Patres expressio « Symboli » invenitur, sed loco illius, expressiones « regula fidei, doctrina, traditio, regula veritatis, tessera » adhibentur. Rursus, in scriptoribus aevi apostolici, uti sunt S. Clemens Romanus, S. Ignatius, Polycarpus Ephesus et Auctor *Doctrinae duodecim Apostolorum*, nulla, « Credo Romani » reperiuntur vestigia.

b) *Credo Romani* vestigia quaedam, saeculi secundi initio reperiuntur. Reperiuntur siquidem in S. Iustino, quem inter scripta quaedam eius et *Romanum Credo* similitudo exstet; immo, fatente Kattenbusch, unum ab alio quaedam desumpsisse appetet. Reperiuntur etiam in S. Irenaei operibus, in cuius *Credo* formulae *Credo Romani* « Deus Pater omnipotens, Christus Jesus qui passus est sub Pontio Pilato », leguntur. (3)

c) Saeculo tertio, Romana et Africana Ecclesia *Credo Romano* universaliter utuntur, testibus Novatiano, S.

Cypriano, neconon Tertulliano. Novatianus romanus presbyter circa a. 260, contra Cornelium Pontificem scribens ait: « Regula exigit veritatis ut primo omnium credamus in Deum Patrem et Dominum omnipotentem... Nos credere... etiam in Filium Dei, Christum Iesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium... ex Maria... et resurrecturus a mortuis, sessurus ad dexteram Patris... iudex omnium... Credere etiam in Spiritum sanctum... ad resurrectionem... corpora nostra producat... Ecclesiam veritatis sanctitate ». (1)

In *Epistolis* 69^a et 70^a S. Cypriani legitur: « Credis in remissionem peccatorum et vitam aeternam per sanctam Ecclesiam ? ». Credis in vitam aeternam et remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam ? ».

Tertullianus (2), invokeata auctoritate Ecclesiae Romanae, neconon fidei unitate cum Africana Ecclesia, rursusque asserto Romanam Ecclesiam ab Apostolis recepisse, quadruplicem fidei professionem enuntiat, cuius articuli a Romani *Credo* articulis minime differunt: aliisque in locis, (3) huius *Credo* substantia invenitur cum professione fidei in baptismum, in nativitatem, passionem ac resurrectionem Christi, simul coniuncta. Scribit siquidem: « Quum aquam ingressi christianam fidem in legis suae verba profitemur, renuntiasse nos diabolo et pompe et angelis eius ore nostro contestamur... Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid responduentes quam Dominus in evangelio determinavit... Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem. At ubi fides aucta est credenti in nativitatem, passionem, resurrectionemque eius, addita est ampliatio Sacramento obsignatio baptismi ». (4)

Romae a quodam anonymo, vel a diversis, *Credo Romanum* compositum fuisse, retinetur a nonnullis; quo anno vero controvertitur. (5)

III. — *Romanum Credo* saec. IVⁱ et Vⁱ cum *Romanum Credo* hodierno comparanti appareat, eundem esse articulorum numerum, diversa tamen additamenta in formula facta esse. Siquidem, ut de aliis multis sileamus, in priori *Credo Romano* non inveniuntur expressiones « Creatorem caeli et terrae — conceptus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine — passus — mortuus — Dei Patris omnipotentis — descendit ad inferos — vitam aeternam — catholicam — communionem sanctorum ». Rursus in secundo *Credo Romano*, loco: « Christum Iesum, in caelos » legitur: « Iesum Christum, ad caelos ». Additamenta huiusmodi, nonnisi a diversis Ecclesiis facta fuisse. Ita ex. g. ab Ecclesia Aquileiensi verba « descendit ad inferos » vel « ad inferna » addita fueré; ab Ecclesia Galliae verba « passus »

(1) *De Trinitate* c. I, IX, X, XXIX, M. 3, 913-27-25-71-74.

(2) *De Virginibus Islandis* c. I *De Praescript.* c. XIII et XXXVI; *adv. Praxeum* c. II. Cf. VACANDARD ib.

(3) *De Velandis virg. et adv. Praxeum*.

(4) *De Spectaculis* c. IV; *De corona milit.* c. III: *De Baptismo* c. XIII.

(5) Cf. VACANDARD I. c. III Iuxta BURN a. 100-120; iuxta ZAHM o. a. 100; iuxta SAL. REINACH (*Orpheus ch.* VIII, 63) « Le plus ancien symbole de ce genre connu en 750 de Justin, est un produit de l'Église de Rome avant l'an 100 ».

(1) VACANDARD I. c. II.

(2) *Confess.* I. 8. c. 2. M. 32,750-751.

(3) VACANDARD I. c. III.

et « Dei » ; ab Ecclesiis Hispaniae verba : « ad dexteram Patris omnipotentis » ; ab Ecclesiis Africae verba : « vitam aeternam » ; a Niceta episcopo Remesianaec Ecclesiae (saec. V) verba : « creatorem caeli et terrae — catholicam — communionem sanctorum ». Qua vero in Ecclesia hodiernum *Credo Romanum* compositum fuerit, non convenient scriptores, quidamque in Ecclesia Galiae, alii in Ecclesia quadam Italiae, alii in Ecclesia Romana, tenent.

* * *

Relictis controversiis omnibus, a viro catholico prae mente duo habenda sunt : I^o Quod in omnibus symbolis « eadem fidei docetur veritas » ; et « plura sym bula in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quae in alio continentur implice, secundum quod exigebat haereticorum instantia (1) ». — I^o Merito a Pio X (*Syllab.*) fuisse propositionem (62) damnatam ; « Praecipui articuli Symboli Apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant, quam habent pro christianis nostri temporis » (2).

Friburgi Helvetiorum.

REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) S. THOM. II. — 2^{ae} p. 1. 9 ad 2.

(2) Desumpta fait à LOISY, *Autour d'un petit-livre*, 202.

Quo potissimum consilio in nostris mediis quae dicuntur scholis veterum Grae- corum Latinorumque opera sint pree- genda.

Spatii angustiarum cura ac sollecitudine affecti propositum nostrum quam paucissimis absolvemus, ne huius Commentarii moderatoris comitate patientiaque nimis abutamur. Non enim de quaestione iam diu vexata ac prope ex omni parte expleta lectores morari in animo fuit, sed inter tot ac varias doctissimorum virorum sententias quae nobis quidem potior habenda sit, eam exhibere visum est.

Hisce praemonitis, rem aggrediamur.

Si optimorum auctoritate niti volumus eorumque sententias omnino neglegere, qui Graecis Latinisque litteris obtrectent, quippe quae ad nostrae aetatis cultum humanitatemque nihil conferant, ut nostri discipuli quam plurima pervolutent ac versent Graeca et Latina litterarum exemplaria, maxima nobis cura est adhibenda. Quod quum multiplici disciplinarum varietate nostraeque vitae atque aetatis asperitatibus consequi nequeamus, in tanta illa scriptorum operumque copia, quae potissimum ad rem propositam nostram pertineant sunt elegenda ac statuenda. Quod onus atque munus difficillimum magistris suscipiendum est. Qui quidem secum ipsi reputare debent quos ex illis litteris

tradendis percepturi sint fructus, quodque quaeratur, haud aliter ac in quotidiana consuetudine peritissimi agricolae, qui messem quam lecturi sint, antequam agros serant, animo quodammodo metiuntur.

Quonam vero in illis litteris docendis miremur oportet?

Alia eleget opera magister, qui modo linguam eandemque aureae quae dicitur aetatis potissimum docere velit, alia qui hoc sibi munus suscipiendum decrevit, ut rebus ad mores ac vitam pertinentibus mentes animosque discipulorum penitus aleret atque effingeret. Eius autem paelectio diversa erit, qui puerorum mentes potius rerum antiquarum eruditione imbuere, quam ad virtutem imitandam sequendamque ipsorum animos hortari admet. Ceterum iam etiam in singulis aetatibus temporisque progressu in litterarum Graecarum et Latinarum studio eodem consilio non semper homines versati sunt. Nam primum ex Graecis ac Latinis Christianos tantum scriptores religionis causa persecuti sunt viri docti, deinde Aristotelis latini et *Artium* quae dicebantur libros compulsarunt, qui modo ad antiquitatis diversas disciplinas penitus pernoscendas prorsus spectaverunt, tum qui verborum lumina orationisque splendorem quaesivere, Ciceronem splendidissimum exemplar habuere lectitabantque, denique ii qui, velut e vinculis hominum mentes solvere existimarent philosophica Arpinatis Graecorumque opera sunt interpretati. Postremo, Winckelmannio auctore, ex Graecis Homerum tragoediarumque scriptores, ex Latinis Horatium paelegerunt ac versarunt, qui sui erudiendi instituendique viam ac rationem quam hominibus rerum natura tribuisse videatur persequi sunt opinati.

Nuperrime autem novum atque inusitatum iter percurrentum censuit Wilamowitzius, qui, singulari prorsus industria versatus in litteris Graecis, florilegium quoddam hoc consilio edidit, aliqui Angli auctores, eruditissimi viri, quorum iudicio scientiae cognitionisque nostrae origines atque incunabula esse repetenda arbitrantur ex illis antiquissimis litterarum monumentis ad quae maxime respiciendum est. Cum illis quidem antiquissimis populis, quorum alter pulcritudinis formas perfectissimas et undique expletas invenit, alter imperium omnium gentium constituit pacisque imposuit mores, nos nostraque mirabili quodam coniungimur vinculo ac noster eorumque cultus atque humanitas maxima cognatione inter se continentur. Itaque cognatio haec inter nostram et Graecorum Latinorumque doctrinam humanitatemque, quae maximarum rerum et artium scientiae initium ac fundamentum haberet licet, clarius illustranda est ac paene discipulorum sub oculis ponenda.

Igitur magister, qui munere sibi mandato optime fungi optet, opera suis discipulis legenda curabit, quae ad nosmet ipsos nostraque perspicienda atque ad mentes animosque excitandos potissimum valeant. Ex Graecis enim ac Latinis litteris antiquitas nostris discipulis tantummodo non est discenda. Nostrarum contra rerum

hominumque cognitio ut ex illis vetustissimis rebus redundet effloreatque niti oportere videtur, aut quidem certe ut discipulorum in animis mentibusque sui recentisque aetatis res cognoscendi gignatur amor et cupido.

Qua re in libris auctoribusque elegendis hoc sibi persuasum ac statutum habeat gravissimus illarum litterarum praceptor, nullam nostrarum rerum firmam scientiam esse posse eiusdemque nullum studium in animis fieri, nisi ex illis litteris profiscatur ac repetatur; nullam denique mentem ad res intellegendas ac penitus pernoscendas optime instructam esse, quae illarum litterarum formas perfectissimas eximiasque non comprehenderit. Hoc enim optima illa studia praeferunt, ut rerum penitus percipientiarum viam rationemque aperiant, in quo nostrae quae dicitur *mediae institutionis* solum ac fundamentum positum esse videntur.

Salae Consilinae, mense Novembri MCMXI.

IANUARIUS DE FILIPPIS.

ALMA DOMUS LAURETANA

*Lauretana Domus, grande Sacrarium
cuius frons tumidum prospicit Hadriam!
Salve, patria Christi
sedes, cella Deiparae.* (1)

*Salve, magna diu gloria Nazare,
nunc insigne decus litoris Itali,
quo te caelicolarum
advexit globus aliger.* (2)

*Alato Gabriel praefuit agmini,
saepe auditus AVE dulce refundere,
divi quod paronymphus
olim Flaminis edidit.*

*Spectat Terra iacens Tecta volucria,
et mirata rogat, quâ sit origine
Aedes, quove locorum
cursum dirigat alitem.*

*Vox e nube canit: « Maxima Nazare
Laus, haec alma Domus, vim Saracenicam
horrens, Asonidarum
fidis advolat urbibus. »*

(1) In voce composita *Deiparae*, metri causa, longam feci secundam syllabam, quae ceterum in voce simplice *Dei* produceretur.

(2) Translationem Domus Nazarenæ in agrum Lauretanum poetice descripsi, ut eam solent repraesentare pictores.

*Coepit pergit iter casta Domuncula,
festinamque nequit Dalmata (1) sistere;
mox, Anconis in agro,
viso (quem supereminet)*

*clivo laurifero, findere desinit
auras, inque solum devolat herbidum:
finem nacta viarum
et iam laeta quiescere.*

*Quae te lauricomo colle beatior
tellus? dulcis ubi Cellula constituit,
in qua, vindice (2) Iesu,
nostra est acta redemptio;*

*in qua vox sonuit: « Filia Davidis
expers labis, ave! nam tibi, gratia
plena, se Deus ipse
ardet credere Filium »;*

*in qua tinnit adhuc FIAT humillimum,
quo vix elicito, candida Virginem
nubes umbrat, et orbis
Auctor fit genus Abrahae.* (3)

*O iucunda piis obvia mentibus
argumenta, locus quae sacer evocat!*

*O succendere nata
vel frigentia pectora!*

*Illud nec stupeas, quod sit agrestior
ataque angusta Domus nudaque commodis:
ultra, dives ut esses,
Christus legit egenulam.*

*Intactam pietas servat, in angulo
laureti positam, quo semel impluit;
nec, fundaminis orbam,
fulcro sustinet altero.* (4)

*Unum praestitit ars: undique parietes
cingens Aediculae marmore sculptili,
iussit splendida circum
templi surgere moenia.*

*Illuc turba frequens affluit; affluunt
Piceni, Ligures, Gallus et ultima
Thule; sceptra, tiarae
illuxere Sacrario.*

(1) Tersacte, Dalmatiae oppidum, traditur paulisper aliam Domum retinuisse.

(2) Vindex speciatim appellatus est, qui, quum cuiquam esset iniecta manus ut ad iudicem duceretur, eum liberabat.

(3) Luc. I, 28-38.

(4) Domus Lauretana summae humo imposita est ac fundamentis caret.

*Huc Franciscus, ovans, advolat Allobrox;
huc Alfonsus (1) ibi (raptus in ecstasim)
visus figere crebra
sacris Aedibus oscula.*

*Alma o luce diu Numinis incolae
illustrata Domus! perge nitescere
iactatis, Pharus ardens,
atro turbine gentibus.*

*Regnet relligio, qua fuit impotens
in caelum rabies; nec Deus exsulet
aulis sive scholarum,
leges sive ferentium.*

*Arcte consociet mutua caritas
dites ac inopes; alter in altero
civis cive vereri
Christi discat imaginem.*

*Nec tu, Cella Dei, littora deseras
Lauretana, suo quae Pimodanus, (2)
Petri iura tuendo,
martyr, sanguine proliuit.*

FR. XAV. REUSS.

(1) Franciscus Salesius, Sabaudus vel Allobrox, et Alfonius de Ligorio Neapolitanus, ad Lauretanam Domum, pietatis causa, se contulerunt. Atque Alfonso tum certe in mentem subierunt quae ante scripserat: « O Casetta fortunata di Nazaret, io ti saluto. Verrà un tempo che sarai visitata dai primi grandi della terra; ritrovandosi i pellegrini entro di te, non si sazieranno di piangere per tenerezza, in pensare che, dentro le tue povere mura, menò quasi tutta la sua vita il Re del paradiso ».

(3) Georgius marchio de Pimodan, in exercitu Pii IX Pont. Rom. dux fortissimus, gloriosa morte occubuit in proelio commisso apud oppidum Castelfidardo, sub ipsis clivi Lauretani radicibus. Nuper gens Pimodania campum redemit, in qua christianus heros proeliando cecidit.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Alienam metere messem.

Duplex est usus huius adagii, quod apprime in eos convenit qui commoditatibus aliena partis opera potiuntur, et in eos qui negotium non suum parum diligenter curant. Ducta metaphora a vetusto more, quo vicini rustici in demetenda segete mutuam inter sese operam commodabant. Fit autem hominum more, ut in suopre quisque negotio longe sit attentior quam in alieno. Id quod eleganter admonet apolodus ille de Cassita, quem non pigeret referre, nisi promptum esset cuiilibet apud Aulum Gellium legere. Potest et eo referri, quod aliquoties

fit, ut, electis iis qui sementem fecerunt, alii in eorum locum succedant, citraque laborem alienis fruantur sudoribus. Unde Maronis illud: *En queis conservimus agros.* — Aristophanes (*Equit.*) in Cleonem paroemia usus est, qui in rem paratam multisque laboribus a Demosthene prius labefactam veniens, Pylo capta, gloriam omnem victoriae in se transtulit, Demostheni praeter invidiam nihil reliquit.

Penelopis telam retexere.

« Penelopis telam retexere » est inanem operam sumere et rursum destruere quod effeceris ». Natum ex Homero, qui libro *Odyssae II* fingit Penelopem, Ulyssis uxorem, procos iam urgentes hac conditione delusisse, ut tum se promitteret nupturam, ubi telam, quam habebat in manibus, absolvisset. Quam conditionem posteaquam illi accepissent, mulier astuta quod interdiu texisset, id noctu retexere coepit. — Usurpat hoc adagium Plato in *Phaedone*. Item Cicero (*Acad. quaest. lib. II*): « Quid quod eadem illa ars - inquit - quasi Penelopes telam retexens, tollit ad extreum superiora? Sentit autem de dialectica, quae iisdem illis orationibus, quibus confirmavit aliquid, rursus solvit ac destruit, ut nihil iam actum videatur ». Seneca (*De benef.*, V): « Quid enim boni est, nodos operose solvere, quos ipse ut solveres feceris? » Aristides denique in *Defensione quattuor oratorum* haec habet, quae latine referimus: « Et telam nescio quam retexentes. Quantum enim faciunt compendii in sapientia, tantum rursum dispendii, dum arrogantes evadunt ».

Annosam arborem traplantare.

In eos dicitur, qui sera atque exacta iam aetate dediscere conantur ea, quibus diu iuvenes assueverint; aut simpliciter de iis quae frustra molimur. Neque enim loco movenda arbor, ubi iam alte fixerit radices, sed quum plantula adhuc est. Nam veteres negabant arborem transferri oportere vel minorem bima, vel maiorem trima, teste Plinio. Videtur autem adagium ad querum peculiarius pertinere, quae omnium altissime radices agit, sive quod hanc arborem omnium primam arbitrabantur fuisse, quapropter et Iovi sacra arbor et sylva Dodonaea querna fuit, unde prima omnium oracula reddita creduntur. Eleganter usus est hoc adagio Seneca (*Epist. XIII, 1*): « Haec - inquit - si nimium tristia videbuntur, villae imputabis, in qua didici ab Aegialo diligentissimo patrefamilias (is enim nunc huius agri possessor est) quamvis vetus arbustum posse transferri. Haec nobis senibus discere necessarium est, quorum nemo non olivetum alteri alteri ponit ».

DE STEPHANO

Christi Martyre primo

Stephanum, quem Christi Ecclesia primum Martyrem colit, inter septuaginta Discipulos S. Epiphanius recenset; incertum tamen qua fide, quum septuaginta illi ab Iesu Christo praedicationis munus suscepserint, Stephanus vero et socii quum primum curandis viduis destinarentur, nondum praedicationi destinati fuisse vi-



Trevisiani tabula S. Stephani martyrium effingens.

deantur. Septem igitur diaconi an. Ch. XXXV initiati sunt: Stephanus omnium primus tamquam dignissimus semper habitus est. Sub Gamaliele studio legis profecisse ferunt; quum autem et Fidei amore et vi Spiritus Sancti plurimum polleret (1), ingentibus patratis prodigiis populos rapiebat; disputationibus vero Libertinos, Cyrenenses, Alexandrinos ceterosque ita confundebat, ut ne stare quidem contra ipsum loquentem auderent. (2) Eius itaque rei invidia calumniatores quosdam ii submiserunt, qui de excitis in populo turbis reum illum ad

Synedrium traducerent. Quo quidem deductus est Stephanus; ac statim testium turba affirmarunt audivisse se illum indigna in Templum et Legem effutientem; iactitasse etiam futurum, ut Jesus Nazarenus Locum Sanctum et Legis observantiam aboleret. Omnia haec sedata satis mente et vultu sereno sustinens Stephanus, iussus tandem a Summo Sacerdote dicere si quid pro se haberet, obiecta in se omnia diluens, nihil se contra Moysem et Templum effutiisse probavit (1); dein verso ad Iudeos sermone, reos illos et in Deum et in Prophetas accusans, in pervicaciam et infidelitatem ipsorum, qui Prophetas primum, deinde Iesum supplicio sustulissent, acriter invectus est.

Obiecta crimina impatienter ferentes Iudei dentibus in illum stridebant. Stephanus interim, elatis ad caelum oculis, gloriam Dei simulque Iesu ad dexteram Dei stantis visione subito extra se factus: « En - ait - Caelos aertos intueor, et Filium hominis stantem ad dexteram Dei ». Furentes ad blasphemiam, (ut ipsi quidem interpretabantur), Iudei virum extra urbem raptum lapidibus confecerunt. Quo autem iaciendis lapidibus expeditiores essent, vestimenta sua ad pedes Sauli adolescentis deposuerant; illius sane viri, qui ex hoste fidelibus infestissimo, dein acerrimus Fidei propugnator evasit. In eo suppicio tolerando nihil antiquius habuit Stephanus, quam ut veniam pro adversariis a Deo impetraret; simulque haec rogans, animam efflavit. (2)

Eius reliquias a Gamaliele apud Hierosolymam conditas per revelationem an. CCCCCXV detectas ferunt atque Sion primum, deinde Constantinopolim translatas, unde an. MXC rapuit clam Petrus, Venetus Prior, qui eas secum Venetas duxit, et in templo S. Georgii Maioris depositus, in quo adhuc veneratione magna incolae advenaeque prosequuntur.

**

Haec de Stephano, Christi martyre primo, qui facile ex Iudeorum Hellenistarum numero ad veram Fidem venerat, ab historiis tradita. Quum autem eius cultus vetustissimus in Christiana Ecclesia fuerit, haud mirum quod ingenuae artes eius gesta sive scalpro sive coloribus ab antiquis temporibus ad nostros usque dies reddiderint. Sub oculis lectorum hie tabulam ponimus, qua Trevisianus Stephani martyrium effinxit, non tenui quidem figurarum vi et motu, quibus classico, quem dicunt, stylo, tragicam scenam repraesentavit; cui adversari videtur venustum illud parvorum angelorum agmen « e caelis apertis » ad Diaconi animam excipiendam descendentium, quorum alter supremae victoriae palmam, alter invicto Christianae religionis adsertori coronam offert, eius nominis symbolum.

(1) *Act.*, vi. 5, an. Ch. xxxvii, *Aer.* 34.

(2) *Ibid.*

EX ITALIS URBIBUS


De maximo artium certamine Augustae Taurinorum.

« Poetarum sententiis saepe utimur, non tam ut inde adstruamus fidem, quam ut his, quae dicere voluimus, ab ipsorum dictis aliquid ornamenti accedit». Sic Ioseph Puderhof, ille scriptor germanus, qui tot volumina edidit eaque luminibus poetarum saepe hilarare consueverat. Ipse sit mihi defensor, si frequentius saepe nimis carmina in rem meam protuli.

Ut vero ultra progrederi, antequam hoc artium magnum eponomen clauditur, paucis dicam de Anglorum studio. — Numquam, si singula per ordinem dicere vellem, plura mihi essent repetenda. Optime nosti, candidate, potissimum, si sermo sit de opificum instrumento paucis omnino exceptis, in eadem saepe decedunt. Artes enim, uti de gratiis Ovidius aliquando descripsit, unam propemodum speciem referunt:

. . . . facies non omnibus una,
Non diversa tamen, qualem decet esse sororum.

Anglus, natura unice ad utilitatem spectans, ut constat apud omnes, diu multumque haesitavit, utrum in




Angliae aedes in artium Taurinensi conventu.

Aedicula anglica est procul dubio omnium ditissima cum de externa facie tum de interna. Ad aedificii formam quod attinet, si quaestio esset, ingenium aetatis in primis refert, quae apud nos saeculo XVI maxime invaluit. Haud voluerunt nimis a ceteris abscedere. Omnia enim novae civitatis aedificia unam quasi referunt faciem; quae si quando ob nimiam similitudinem displiceret, nec tamen taedium fastidiumque generat.

Exornatio vero exterior, quae aliquantis per ad viridem colorem tendit, sua omnino adparet visuque delectabilis. In partibus interioribus parum adparatus, omnesque merces modice prostant. Angli enim homines, qui semper ad utilitatem omnia vertunt, ad exterarum artium concursum adveniunt, non tamquam ad famam sibi hac ratione conquirendam, vel ad honorem pectendum, sed potius ad lucrum.

Haec summa suarum rerum expositio, ceteris omnibus alegatis, vel quae ad politicam potissimum spectant, commerciis unice favet artibusque. Quibus optime perspectis, quum haec recte omnia novissent, summo sunt opere nisi ut per quam maximo studio hoc opus adgredenteretur. Etsi rem obiter perspicere velis, vel delibare, ipsos omnia meruisse suffragia late ipse facile dixero. O vos omnes undique lanarii, sistite parumper atque admirmini. Nonne vos ultro primas Anglis dabitis?



Germaniae tentoria.

hanc speciosam inter nationes contentionem de artibus, e finibus suis egredetur, nec ne. Attamen post diutinam acerrimamque inter mercatores disputationem, consilium inierunt posse quoque, nec sine dedecore, cum ceteris populis et de rebus mercatoriis Augustae Taurinorum certare.

Hic in primis adest ob oculos villicus qui pecudes errantes adhuc in campis tondet, mox qui lanam agrestem mollit, dein qui in stamina eam deducit, demum « tineta legit roseo conchyli purpura fuco. » In ultimum adsunt viri mulieresque in magno beatiorum hominum conclavi, elegantibus variisque ex recentiorum

more vestibus induitae, multa inter se disserentes, quae miram sane eamdemque modestam de se praebent maiestatem.

Vel in vasibus fictilibus, vel in rebus quae ad photographiam referuntur, seu quae imagines luce expressas exhibet, et in omnibus quae ad volumina pertinent, ad crepidas, eamque varietatem admiratus invenies, eamque perfectionem, ut ad optimam prae ceteris nationem pertinere eius artem confitearis. Ad haec omnia sua quaeque loca habent crystalla, scholae, agricolarum stationes: primam aedificii partem obtinent; in medio stant quaeque ad libros pertinent. In ferreis tablinis, quae cum machinarum aediculis coniunguntur, stant opera navalia; quae pauciora dixeris, si cum germanis composueris. Res caligariae, vasa odoraria, fructus pro secundis mensis repositi, vestes conficienda parandaeque... Industria vero quae de vestimentis agit, principem quoque locum obtinet. Sive huius loci amplitudinem consideras, sive magnitudinem, optime noveris in ipsis praesertim omnium vires niti eoque spectare, ut admirationem omnium sibi conquerant.

Manchesterium prae ceteris imperii civitatibus triumphum edidit. Centies enim huius nomen leges, quo sibi rebus in industria principem locum merito acquisivit, nec modo de textilibus, sed uti videre potes, in hac maxima ingeniorum contestatione, et in vasibus fictilibus atque crystallis.

Nec omnia refero, neque omnia enim videre potuissem. Quoniam vero hoc ipso mense labente, vel ad summum prima sequentis parte clauditur hoc supremum ingeniorum conamen, (1) omniaque aedificia summo admodum artificio composita, mox mox manu hominum dilabuntur, et haec ipsa loca ad civium solatium puerorumque denuo redibunt, ad finem concitato gradu contendam, ne mihi dicas :

Claudite iam rivos, pueri, sat prata biberunt.

Quot silentio praeterire iubeor! Magnis namque laudibus Belgas quoque ferendos putabis, qui in inferiori utique ambitu conclusi, suam artem progressumque in artibus mirum in modum portendunt. Eorum spes in periculis augeri videtur, virtus continue splendet, constantia viget, atque audentia vehementius incalescit. Multi transeuntes eorum ostensionem plurimis verbis admirantur, ad sidera ferunt. Huic nationi, christianis nunc moribus in primis laudabili, atque antiquam adhuc egregiam indolem retinenti, quam de ipsis I. Caesar meminit, quae Vergilius de Roma dixit ultro referes : « Scilicet et rerum facta est ditissima » gens Belgica. Sed antequam finem ultimum huic perbrevi narrationi tandem impono, velim pauca dicere de re nostra navalium et praesertim de bellica... Quot immania pelagi monstra! Quot bellica tormenta! Illic veluti in compendium composita sunt quotquot in mari ad Tripolim

(1) SUBALPINUS mense Octobri exerceunte scribebat; Taurinense artium certamen revera clausum est die xix superioris mensis Novembries.

bella adversus Turcas acerrime gerunt. « O vos Itala pubes salvete! O famae merito pars maxima nostrae salvete! » Quibus nunc Itali confidentius nomen suum conciderunt, victoria semper adrideat, ut post bellorum pericula in pace gloriosa compositi, italicam fortunam late gaudeatis.

Verum adhuc e limine atque acerrime laudibus iterum atque iterum Taurinenses cives opificesque cumulabo, qui omnes certatim eo contenderunt, ut aliquod sibi neque spernendum meritum adquirerent, atque adeo abs nulla arte, nullisque impensis, publicis privatisque, se se abstinerent censuerunt.

Equidem tanti erat Taurinenses novum Italiam ostendere, non iam armis ad gloriam suos concurrere posse, ut inter recentiores populos ad famam adsurgent, sed artibus, commerciis atque in primis in agris optime colendis. Sie itur ad astra.

SUBALPINUS.

EX COLUMBIA

“Tarcisius,,, actio dramatica I. B, Francesia, in nostro Commentario edita, apud Columbianos in scenis acta.

Clarissimus socius noster Ioannes Baptista Francesia hasce epistolas ad nos mittebat, quas libentissime, imo non sine quadam superbia, vulgamus:

Dulcissime rerum,

Nudius tertius accepi litteras a Columbia, quae mihi gratissimum nuncium dabant, illic tirones Salesianorum actitasse Latinam comoediam, cui est titulus « Tarcisius. » Quod quidem laudibus ferendum esse putabant quotquot est pectori litterarum latinarum studium. Tibi quoque, optatissima Vox, sit laudum pars maxima, quae primum in vulgus edidisti hanc narrationem ad commune litterarum incrementum atque ad nobile internostrates exemplum.

Namque nullibi adhuc, ex mea quidem sententia, est in Italiam actitata perbrevis haec historica narratio; primum sed apud gentem mox toto orbe divisam, quam rudem paene dixeris atque agrestem in litteris latinis addiscendis.

Quoniam vero Salesianorum tironum exemplum et alios ad se trahere poterit, hasce ipsas litteras ad Te libentius mitto, ut videas, si per spatium licebit, utrum in publicum edere possis necne. Utcumque eveniat, mihi tamen cum Ovidio erit tibi et illis dicendum :

« Plena tot et tantis referetur gratia factis.

Augustae Taurinorum iv Id. Novembris MCMXI.

I. B. FRANCESIA.

II.

Ioanni Baptistae Francesia, magistro optimo, Salesiani tirones ex Columbia s. p. d.

Pergratum nobis est tibi nuntiare Mosquerae, IV ante Idus Septembbris, in scenas productam esse actionem dramaticam «Tarcisius», quam Inspectorio nostro R. D. Aime feliciter sacrum renovanti argenteum, obtulimus.

Laboriosa quidem praeparatio fuit, sed praemium accepimus quam maximum, nam actio optabilem exitum habuit, et miraculum fuit non tantum inter sodales nostros, sed et in Columbia omni, in qua prima vice fabula latina acta est, ita ut Moderator collegii nostri statuerit denuo, Bogotae coram clero atque episcopis Columbianis, proximo mense Octobri extraordinarie in unum convenientibus, esse producendam. Quod revera tanto cum plausu factum est, ut merito sperare liceret fore ut omnium animi ad latinarum litterarum studia incensi quam maxime fuerint, utque huius mirabilis linguae amor in nostris domibus et in clero universo, in dies augeatur et florescat.

Maximam tamen laudum partem quas nobis tribuerunt, tibi, laeto animo, reddimus, cuius operam poetica, facilitate versus et elegantia sermonis, iustis laudibus omnes periti ad caelum tollunt.

Favente Deo, in posterum ceteras actiones, quas insigni arte exarasti, prolaturi sumus. Si quid novi in lucem dederis vel alienum eiusdem generis utile nobis esse cognoveris, periucundum nobis feceris, si ad nos miseris.

Ad multos annos, dilecte Pater, te Deus servet. Vale.
Dat. Mosquerae in Columbia, VII IKal. Novembbris,
ann. MCMXI.

ACTA PONTIFICIA

**SSmi. Dni. N. Pii PP. X allocutio habita in S. Consistorio
d. XXVII mens. Novembris MCMXI.**

VENERABILES FRATRES

Gratum quidem est, quod satis longo post intervallo licet Nobis amplissimum Ordinem vestrum alloqui presentem, cui sane omnia, quaecumque vel laeta vel tristia Nobis accidunt, scimus, ob singularem vestram Nobiscum coniunctionem, esse communia. Iam diu enim habuimus in animo vos convocare, ut coram de iis ageremus, quae Nos in gubernanda per medias tot difficultates Ecclesia Iesu Christi maxime sollicitant: sed nostis, Venerabiles Fratres, quae Nos causae rem in hunc diem differre compulerint. Quamquam opem Dei ad sustinendas vires, ad consolandos labores Ecclesiae militantis experimur assiduam; sed tamen non possumus, quin simul has tantas acerbitates temporum sentiamus.

Annus enimvero, qui iam est in exitu, peculiarem in modum Nobis luctuosus fuit: id plane omnes intelligunt. Evidem non in hoc immorabitur, quanto Nos maerore itemque filios quotquot ubique sunt Ecclesiae

devotos affecerit clamosa illa commemoratio celebratio factorum, unde tam multa tamque gravia vulnera, quanta usque adhuc inusta sunt iuribus Sedis Apostolicae, nemo ignorat esse profecta. Neque enim satis esse visum est eventus tales publicis commemorari sollemnibus: placuit iniuriosam rerum memoriam iniuriis celebrari novis, importunas anno vertente declarationes odii in fidem catholicam saepius iterando: quod maxima cum offensione totius catholici nominis factum esse quis negaverit? Atqui summum bonorum decusque praecipuum dilectissimae Nobis Italiae hac Fide continetur, quae et mirifice eam ad omnes humanitatis artes excoluit, et sicut anteactis temporibus, ita in posterum pacem et prosperitatem ei parere sola potest. Ceterum, quando in hac sacerrima Urbe incredibilis quaedam impunitas hostibus Religionis datur, quid mirum, si secta improba, qua nihil Deo christianaque sapientiae est inimicus, coetus suos nefarios paene sub oculis Nostris egit? Si fidem Christi, si doctrinas Ecclesiae, si Romani Pontificis auctoritatem vulgo per diaria atque in triviis, vel ab ipsis etiam magistratibus, haberit ludibrio, contumeliisque onerari vidimus?

At non intra romana moenia et in finibus Italiae improborum adversus Ecclesiam impetus restiterunt. Scitis, Venerabiles Fratres, regno Lusitaniae in Rem-publicam converso, violentam illic tempestatem invidiae et calamitatem incidisse in rem catholicam; nec ignoratis eam rerum conversionem factam esse ductu et auspicieis eiusdem illius sectae, quam diximus; ipsa enim hoc profiteri non dubitat; et factam quidem specie novandi formam rei publicae, sed reapse ad facilius opprimendam Religionem. Nos, ut Apostolicum officium postulabat, legem de Civitate et Ecclesia dissociandis in luce orbis terrarum reiecimus et damnavimus, illud videlicet insigne improbitatis monumentum, quo id non dubie contenditur, divellere a complexu Ecclesiae Romanae Lusitaniam, in eaque sensim omne catholicae professionis delere vestigium. Itaque revocamus hic et confirmamus omnia, quae per Encyclicas eas Litteras ad Episcopos universos datas ediximus: futurum vero speramus, ut Lusitana gens, cuius vetus et nobilis laus est deditissimam esse Ecclesiae, obsistat victrix conatis hominum qui nativam omnem libertatem opprimentes, perniciem patriam caeco impetu moluntur. Illud autem spem Nobis auget simulque consolationi est, quod videmus sacerorum Antistites Clerumque Lusitaniae, praenente omnibus Patriarcha dignissimo, summe cohaerere cum hac Apostolica Sede; eosque potius, quam suo desint muneri officique religionem violent, spoliationes, contumelias, carceres denique, detrimenta omne genus obire, constantia mirabili.

Iam vero, dum inimica vis, mores et instituta christiana subruendo, homines ac civitates in exitium impellit; dum pestis *Modernistica*, fucata colore scientiae, serpit callide, virusque *Naturalismi* mentibus instillando, quasi quodam gelu contrahit animos, interea benignitas admiranda est miserentis Dei, qui devios revocare ad frugem parat, novo excitato quasi incendio christiana caritatis. Sane non est quod desperemus de salute communi, cum studia catholicorum in Sanctis-

simam Eucharistiam tantopere ubique gentium inflam-
mari cernimus. Innumerabiles iam ex utroque sexu
sunt homines, iisque non adulti modo, sed adolescentul-
et pueri, qui cum Sacramentum augustum assi-
dus colunt piissimeque diligunt, tum de ipso fre-
quenter, non sine praeclaro fidei et virtutum ceterarum
fructu, participant. Mirum quantum eodem conferunt
conventus illi Eucharistici, quos catholici homines quo-
tannis ex omnibus partibus confluentes celebrare solent.
Hoc autem in genere post coetus et Colonensem et
Londinensem et Marianopolitanum, splendidissime actos
uberrimoque exitu, is qui proximo tempore habitus est
Matriti, non minus exstitit et ad splendorem et utili-
tatem memorabilis. Scilicet ea res agebatur, in qua non
deceret Hispaniam catholicam cuiquam inferiorem esse:
excitatis igitur omnium animis in liberam et ardentem
professionem traditae a maioribus fidei, visa est per
eos dies gens Hispanica universa se supplicem ad pedes
Iesu Christi mystice latentis abiicere. Aderant quotquot
sunt civitatis ordines, ab imis ad summos, frequentia
maxima: elucebat autem omnibus exemplo ipse cum
Augusta Domo Rex Catholicus. Is quidem et voce et
factis publicum mansurumque edidit pietatis documen-
tum: sed hoc ipso et laudes sibi comparavit bonorum
omnium, et causam dedit civibus, quare studiosius
eum colerent et observarent. — Quid igitur in rebus
religiosis vere sentiat Hispania, hic tam aperte ab ea
declaratum est, ut nihil possit esse manifestius. Nempe
affirmatissime testata est, non se nomine et professione
tenus, at sincere et funditus esse catholicam, constan-
terque hanc fidem velle retinere. Itaque si quid ipsa
anhelat, non illud profecto anhelare dicenda est et cu-
pere, ut nefastae condantur leges, quae Religionis in-
stituta, Ecclesiaeque praerogativas et iura offendant;
sed omnino hoc, ut integra conserventur vetustae ne-
cessitudinis vincula, quibus cum Sede Apostolica con-
iungitur. Respiciat Deus, precamur, benignus nationem
Nobis carissimam, et avertat mala, quae ad tranquillita-
tem fortunamque eius labefactandam appetere videntur.

Nunc, Venerabiles fratres, antequam novos viduis
Ecclesiis demus Episcopos, propositum Nobis est hone-
stissimum vestrum supplere Collegium, viros aliquot
cooptando virtute doctrinaque praestantes, qui sive in
episcopali ministerio, sive in aliorum perfunctione mu-
nerum suam Nobis operam egregie probarunt.

Hi sunt

JOSEPHUS MARIA COS Y MACHO, Archiepiscopus
Vallisoletanus;
DIOMEDES FALCONIO, Archiepiscopus Tit. Larissenus,
Delegatus Apostolicus in Foederatis Americae Civi-
tatis;
ANTONIUS VICO, Archiepiscopus Tit. Philippensis,
Nuntius Apostolicus in Hispania;
IANUARIUS GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE,
Archiepiscopus Tit. Edessensis;
IOANNES MARIA FARLEY, Archiepiscopus Neo-Ebo-
racensis;
FRANCISCUS BOURNE, Archiepiscopus Westmonaste-
riensis;
FRANCISCUS BAUER, Archiepiscopus Olomucensis;
LEO ADOLFUS AMETTE, Archiepiscopus Parisiensis;
GULIELMUS O' CONNELL, Archiepiscopus Bosto-
niensis;

HENRICUS ALMARAZ Y SANTOS, Archiepiscopus
Hispalensis;
FRANCISCUS VIRGILIUS DUBILLARD, Archiepisco-
pus Chamberiensis;
FRANCISCUS NAGL, Archiepiscopus Viennensis;
FRANCISCUS MARIA ANATOLIUS DE ROVERIE DE
CABRIERES, Episcopus Montis Pessulani;
CAIETANUS BISLETI, Pontificiae Domus Nostrae Prae-
positus;
IOANNES BAPTISTA LUGARI, S. R. et U. Inquisi-
tionis Assessor;
BASILIIUS POMPILI, S. Congregationis Concilii Se-
cretarius;
LUDOVICUS BILLOT, Sacerdos e Societate Iesu;
GULIELMUS VAN ROSSUM, Sacerdos e Congreg. SS.
Redemptoris.

Praeter hos alium egregium virum sacrae honore
Purpurae honestare decrevimus; quem tamen iustis de
causis in pectore reservamus.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apo-
stolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus et declara-
mus S. R. E. Cardinales:

Ex Ordine Presbyterorum

JOSEPHUM MARIAM COS Y MACHO
DIOMEDEM FALCONIO
ANTONIUM VICO
IANUARIUM GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE
IOANNEM MARIAM FARLEY
FRANCISCUM BOURNE
FRANCISCUM BAUER
LEONEM ADOLFUM AMETTE
GULIELMUM O' CONNELL
HENRICUM ALMARAZ Y SANTOS
FRANCISCUM VIRGILIUM DUBILLARD
FRANCISCUM NAGL
FRANCISCUM MARIAM ANATOLIUM DE ROVERIE
DE CABRIERES

Ex Ordine Diaconorum

CAIETANUM BISLETI
IOANNEM BAPTISTAM LUGARI
BASILIUM POMPILI
LUDOVICUM BILLOT
GULIELMUM VAN ROSSUM.

Item aliud, ut supra diximus, Cardinalem creamus
et in pectore reservamus, quandocumque arbitrio No-
stro renuntiandum.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis
necessariis et opportunis. In Nomine Patris † et Filii
† et Spiritus † Sancti. Amen.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

*Dubium circa Vigilias Festorum suppressorum « Motu
proprio » diei II mens. Iulii MCMXI.*

An post Motu Proprio « Supremi disciplinae » diei
II mens. Iulii MCMXI adhuc servari debeant Vigiliae Fe-
storum suppressorum, ex praeepto aut ex voto hucusque
servatae? — *Resp. Affirmative.*

DIARIUM VATICANUM

(Mense Novembri MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Stanislaus Medolago Albani, Comes; Maria Theresia Ledochowska, Comitissa; Patres Armenici Episcoporum conventus in Urbe congregati; Galeazzus de Thun Hohenstein, Princeps, Supremi Melitensis Ordinis Magister Maximus; Christina Giustiniani Bandini, Princeps foemina, Coetus Catholicarum Mulierum in Italia praeses; Raphael Errazuris Urmelata, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Chilensis Reipublicae apud Apostolicam Sedem, eiusque familia; manus nobilium virorum ex Septentrionali America, ex Batavia, ex Anglia atque ex Gallia ad grates Pontifici habendas ob cives cuiusque nationis suos Sacra Purpura honestatos.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — S. Congregationis Consistorialis decretis SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Titulari ecclesiae archiepiscopali Nazianzenae praefecit r. p. Dionysium Schuler, iam Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum Unionis Leoniana; Cathedrali ecclesiae Ecclesiensi, sacerdotem Iosephum Dallepiane, presbyterum Dioecesis Placentinae, ibidem canonicum cathedralis ecclesiae et Vicarium Generalem.

Brevi Apostolico nominati sunt: r. d. Noë Ioseph Tacconi, e Seminario Mediolanensi pro Missionibus ad exteriores gentes, episcopus titularis Aradiensis et Vicarius Apostolicus de Ho-nan meridionali; r. p. Iuventius Hospital, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, episcopus titularis Caunensis et Vicarius Apostolicus de Ho-nan septentrionali; r. d. Aloisius Calza ex Instituto Parmensi S. Francisci Xaverii ad exteriores Missiones, episcopus tit. Termessensis et Vicarius Apostolicus de Ho-nan occidentali; r. d. Aloisius Buraci, episcopus eccl. Alexiensis in Albania; r. d. Georgius Koletsi, episcopus eccl. Sappensis in Albania.

In Consistorio d. xxvii mens. Novembri electi sunt: Emus. et Rmus. D. Franciscus Cassetta, Sabinorum ecclesiam dimittens, episcopus Tusculanus; Emus. et Rmus. D. Caietanus De Lai, ex Ordine Diaconorum in Ordinem Presbyterorum assumptus, episcopus Sabinorum; r. p. d. Leopoldus Ruiz archiepiscopus Mechoacan., ab ecclesia Metropolitan de Linares translatus, eiusque successor r. p. d. Franciscus Plancarte y Navarrete, ab ecclesia Cuernavacense promotus; Victorius Amedeus Ranuzzi de Bianchi, archiepiscopus titul. Tyrius, ab ecclesia Recineten. et Lauretan. promotus; r. p. Pius a Langogne ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci Capulatorm, SS. Congregationum S. Officii, Sacramentorum et Religiosorum Consultor, archiepiscopus tit. Corinthien.; r. p. d. Carolus De Cormont episcopus Aturen. et Aquae Augustae, ab eccl. S. Petri et Arcis Gallicae seu Martinicen. translatus; r. p. d. Felix del Sordo, episcopus Aliphan., ab eccl. Venusina translatus; r. d. Aloisius Ferri, canonicus theologus cathedr. ecclesiae Fanen.; episcopus Montis Altii; r. d. Pompeius Ghezzi e dioecesi Mediolanensi, episcopus Biturgen., seu Burgi S. Sepulcri; r. d. Iosephus Scarlata, parochus Villalbae in dioecesi Calataniadien., episcopus Muranus; r. d. Ioannes Pulvirenti, canonicus cathedr. eccl. Iaciens., episcopus Anglonen. et Turcien.; eximus. dñus. Adam e Principibus Sapieha, ex intimo cubiculo Pii X Pont. Max., episcopus Cracovien.; r. d. Lucas Pappafava, parochus decanus S. Petri Brazen. e

dioecesi Pharen., episcopus Sebenicen.; r. d. Caelestinus Cézérac, Vicarius Generalis Auxitan., episcopus Cadurecen.; r. d. Iacobus Naughton, rector Seminarii Alladen., episcopus eiusdem dioecesis.

In Consistorio denique d. xxx m. Novembribus MCMXI electi sunt: r. d. Andreas Bovet, S. Theologiae doctor in Seminario Friburgen., episcopus Lausanan. et Geneven.; r. d. Emanuel Ioseph Pena, canonicus poenitentiarius cathedr. eccl. S. Crucis de Sierra, episcopus Pacen. in Bolivia; r. d. Iosephus Pfluger, Vicarius generalis Vindobonensis, episcopus tit. Arpasen. et auxiliaris Emi. archiepiscopi Vindobonensis; r. d. Riccardus Sepulveda, Gubernator ecclesiasticus Tenuicensis et Vicarius generalis cathedr. eccl. SS. Conceptionis in Chilensi Republica, episcopus tit. Sophenen.

Nominatio Vicarii Apostolici et Praefectorum Apostolicorum. — Per decreta S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt: R. p. d. Henricus de Saune, e Societate Iesu, Vicarius Apostolicus de Madagascar centrali; r. p. Stanislaus de Vos, pariter e Societate Iesu, Praefectus Apostolicus de Koango in Congo Belgico; r. p. Oswaldus Waller, e Seminario Lugdunensi ad Missiones Africanas, Praefectus Apostolicus de Nigeria Orientali.

— R. p. d. Riccardus Sanz De Samper, ex intimo cubiculo SSmi. Dni. Nostri Pii PP. X, a Secretis S. Congregationis Caeremonialis; et r. p. d. Aurelius Galli a Secretis Brevis ad Principes dicuntur.

— R. p. d. Carolus Algernon Stanley, episcopus tit. Emamus., inter Consultores S. Congregationis Consistorialis adnumeratur.

— R. p. d. Ioanni Baptista Lugari S. R. et U. Inquisitionis Assessori in Sacrum Senatum cooptato, sufficitur r. p. d. Dominicus Serafini, archiepiscopus Spoletanus.

— R. p. d. Victorius Amedeus Ranuzzi de Bianchi, archiepiscopus tit. Tyrius, Admissionum Magister a SSmo. deligitur.

ANNALES

Bellum inter Italos atque Turcas.

In superiore nostri Commentarii numero infidum Araborum animum denunciavimus, qui post signa obsequii et oboedientiae Italis prolata, imo cibaria accepta, et hospitium cum iis divisum, a tergo eos ignave aggressi, in discrimin illud adduxerunt, a quo vix heroica eorum virtus servavit. At hodie, summo quidem cum dolore atque non minori indignatione, Turcarum crudelitatem feris ipsis gentibus, nedum qua nunc instructi sumus humanitate, indignantem deferre cogimur. Quis enim crederet Turcas saevissimis tormentis, - in crucem scilicet corpora agendo ac telorum suorum scopum faciendo, vel nefarie detruncando, aut etiam (horrible dictu!) ea in humo, propaginis modo, infigentes, capitibus tantum prominentibus, ut a ferarum morsu, fame aut siti conficerentur, relinquendo, - Italos captivos ad diram eamque vere lacrymabilem mortem traxisse? Atqui proximishicse diebus haec comperta sunt atque universis gentibus ab ipsis diurnorum exteris scriptoribus, qui belli eventus in agminibus sequuntur,

prolata; quorum immo unus, Ioannes Carrère gallus, qui huiusmodi atrocitates gravius doluit, proditorie, in ipsa Tripolitana urbe, petitur et vix paratam sibi caedem effugere potest.

Ceterum Itali, animo haud fracti, quin etiam quasi robustiores facti, ad humanitatem vindicandam intrepide pergunt, ac tum hostium, tum ipsorum elementorum - caeli scilicet ac maris furentium - conatibus superatis, castrorum fines ab Henni ad Messri oppida usque victricibus armis promovent.

Sinensis rebellio.

Sinensis rebellio haud ferme speratos successus consequuta est, Nanking et ipsa Shanghai urbibus sine ulla fere sanguinis effusione potita. Imperator edictum edidit, triste quidem demissionis documentum ab ignavis consiliariis puero principi impositum, in quo seditionis incusationes contra regiam stirpem, in gubernium inque classes - uti vulgo aiunt - dirigentes, tamquam vera confitetur. Validusne erit huiusmodi imbecillitatis actus ad coronam Caesari servandam? Conventus generalis Sinensium procerum qui proxime congregatum iri nunciatur, diiudicabit: certe si thronus a rege non auferetur, nomine tantum rex in posterum is habebitur.

Russici imperii cum Perside discrimen.

In alia quoque Orientis parte anhelitus terrae in nubem se induunt. Nonnullis offensionibus a Persicis quibusdam militibus in Russicum consulatum Teheran in urbe prolatis, atque regiis administris excusationes recusantibus, Russicum gubernium terminum trium dierum Persico ad se purgandum constituit, quo frustra elapso exercitum ab Asserbeidschan provinciam occupandam esset missurus.

Discrimine hoc vix pacato, en « ultimatum » alterum sequitur, ut ad Russica negotia tutanda exteri aerarii legati a gubernio electi removeantur, neve alii admittantur quin prius tum a Russica tum ab Anglica legatione recogniti fuerint. Indictioni huic publicus ferendis legibus coetus omnino obstitit, frustra Persarum exterarum rerum administro suadente, qui inde a munere se abdicavit. Russica itaque agmina a Recht oppido Teheran ipsam ad urbem procedunt.

Clauditur sic, novi belli prospectu, annus MCMXI, tot pacis auspiciis feliciter enatus; qui inde sequetur pacem ipsam inter omnes populos restitutam oriens videbit? Speramus equidem, at valde heu! dubitamus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

legibus ferendis

Ic **Anglia** Grey minister fusa oratione explanavit tum amicitiam inter Angliam et Germaniam falso in dubium passim positam, tum Anglici imperii statum in negotiationibus, quas Gallia atque Hispania de Mauritana re inter se agitant.

In **Austria**, dissidentibus adhuc factionibus, novum administratorum collegium pro tempore sive « ad negotia », uti aiunt, compositum, praeside Stuergh comite.

In **Bavaria** populi legatorum coetus dimissus, novaque comitia indicta.

In **Germania** leges de vectigalibus atque de navigatione fluviali in disceptationem vocatae.

In **Helvetia** nationalis qui vocatur coetus renovatus, nulla tamen partium, quae antea erant, immutatione.

In **Hungaria** rationes acceptorum atque expensarum perpenduntur.

In **Lusitania** novum administratorum collegium suffectum, praeside Vasconcellos.

In **Rumania** regali oratione, optimum regni statum declarante, publici coetus sessiones resumptae.

In **Russia** latae leges de Finnica provincia, de « alcoolismo » à gubernio vehementer coercendo, de religiosa denique libertate.

In **Suetia** totius regni comitia ad novos populi legatos eligendos habentur.

PER ORBEM

Die I mens. Novembbris MCMXI Graecorum rex Lutetiam Parisiorum tenet atque Gallicum exterarum rerum administrum invisit.

— d. II incendium dolo, ut putatur, excitatum Hebraeorum vicum Galata, Constantinopoli in urbe, vastat.

— d. III ex Algeria inundationes nunciantur plures humanas victimas efficientes.

— d. IV Americanae Reipublicae Honduras praeses eligitur Emanuel Bonilla.

— d. VI atra procella in Britannico freto furit.

— d. VIII, Tunete, Araborum seditio in exteris gentes, Italos praecipue, cum magna caede exortur, quam vi repellere Gallici milites non sine difficultate coguntur.

— d. IX Oximi ex municipum aedibus Laurentii Lotto magni pretii tabula Virginem effingens cum pueru Iesu ab angelis venerato, clam ab ignoto fure rapitur.

— d. x Stocolma ex urbe nunciatur Nobelium praemium de litteris hoc anno Maurizio Maeterlinck tributum.

— d. xi Lutetiae Parisiorum longum vitae cursum absolvit Ziem pictor ille marium, per orbem late celebratus. Natus erat mense Februario an. MDCCXXI.

— d. xii Anglorum rex et regina Londino ad Indorum regiones proficiscuntur, ut ibidem imperiali corona sollemniter redimiantur.

— d. xiv Italorum architectorum Nestor, Andreas Busiri-Vici, Romae obit.

— d. xv Donaldus Mackay, Anglicus explorator, Anglorum geographicam societatem certiore facit, se in Nova Guinea incolarum tribus non prius cognitis invenisse.

— d. xvi Serborum rex Lutetiam Parisiorum tenet, ubi Gallicae civitatis praeses Fallières numismate in memoriam Gallici belli an. MDCCCLXX ab ipso pugnati cuso, eum insignit.

— d. xx Strongylus mons ignes evomit, multo cum fragore et metu, at nullo damno.

Ramon Caceres, Dominicanae Reipublicae praeses, nefarie interimitur.

— d. xxii in fodina quadam ad oppidum Kleinbodungen Berolinensis provinciae, incendiarius cuniculus inopinata eruptione opifices sepelit, quorum undecim misere necantur.

— d. xxiv inter Andegavum et Pictavium curruum series vapore actorum ob cuiusdam pontis ruinam in Thoue flumen, proluvie tumidum, praecepsit. Viatorum alii vulnerantur, alii horrendam mortem oppetunt.

— d. xxv vehemens incendium Visoko pagi ad Sarajevo domus quadringentas, templum et Mahumetanorum scholam absunit.

— d. xxvii Augustae Taurinorum monumentum dicatur Vincentio Vela, Italico sculptori nostri temporis praeclaro.

— d. xxviii Berolini obit Ludovicus Pietsch, qui tamquam diurnorum Germanorum scriptorum decanus habebatur. Annum enim vitae agebat octuagesimum septimum.

— d. xxx in Civitatibus foederatis omnibus Americae septentrionalis annuus dies festus celebratur ad grates Deo habendas ob dona Americanae genti tributa.

MUNDANUM SCIENTIAE SODALITIUM

Cl. v. Iacobus Tassetius has quae sequuntur quaestiones ad Coetum Latinum propositas nobiscum communicavit, qui sponte in *Vocem Urbis* renunciamus nostras paginas ultro sociis et lectoribus imo offerentes, si quis de iisdem scribere voluerit.

I.

Num praeter solam illam virtutem, qua invicem se appetenter, inertia licet haberi sidera, quae natura sua lucere, calefacere, et omnigenis scatere viribus manifesta sunt?

Impar in arena atque in lapide, in glacie atque in aqua, et in ceteris corporibus, partium quum sit *cohaerentia*, num par (pari mole, intervallo) atque eadem est terrestri in orbe, luna, sole, sideribusque dissimilis virtus illa, qua vicissim corpora se appetant?

II.

Abstracta, veluti numerus, pondus, spatium, calor, quum finitis quidem sint sensibus data, utrum legitimum sit neque, ut in infinitum ratione ac mente producantur? An qui ultra experimenti fines rationibus et numeris describitur mundus, non aequa sit commentitius atque veterum poetarum Olympus?

III.

Num res eodem per aevi tempora oriuntur ordine, quo scientiae et cognitionis causa per intellectum a simple ad multiplex, a saxeis ad stirpes et animalia exponuntur?

AENIGMATA

I.

En mea regna nitent, spatiis regina meosque
Devoro, quos et tu, quem quoque concoquerem.

II.

Immundum est *totum*; *cervicem* deripe; *sacrum*
F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

DIES CHRISTI NATALI PRAEVIA

Ad exemplar carminis Bohemici C. I. ERBEN, quod inscribitur: *Steiry Den.* latine scripsit FR. PALATA.

Aenigmata an. XIV, n. IX proposita his respondent:

- 1) *Noctu-a*;
- 2) *Cuniculus*.

Ea rite soluta miserunt:

P. C. Peltenburg, *Sotewoude ad Lugdunum Batavorum*. — Aug. Scriban, *Iassiiis*. — I. M. Meunier, *Corbiniano*. — A. P. Gest, *Trentonio*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Call. Amalberti, *Albio Intemelio*. — St. Kempa, *Strosisca*. — Ioan. Galbiati; F. Arnori, *Mediolano*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — F. Wawer, *Marianopoli*. — A. Bouin, *Auveliano*. — Lud. Goux, *Biluricis*. — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco*. — Georg. Archambault, *Quebeco*. — Alex. Pintauro; Vinc. Starace, *Neapoli*. — Alb. Kain, *Dublino*. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — F. X. M., *Drepano*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Petrus Tergestinus. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — P. Prado, *Venetis*. — Fr. Guerra, *Aletio*. — Nicol. Endrigi, *Salisbury*. — I. Ciolli, *Papia*.

Sortitus est praemium:

F. WAWER,

ad quem missum est opus, cui titulus:

T. VALLAURI

HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

EUPLIUS

(13)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

EUPLIUS.

Audi meum verbum, natalis civitas,
Audite cives, cuncti vos et advenae !

MAXIMUS.

Habet loquendi vir effrons audentiam ?
Qui cives agitat, movet et submovet,
Suisque verbis captiosis inciat.

EUPLIUS.

Audes queri de seditione, Maxime ?
In urbe fautor mali, auctor discordiae,
Qui turpis auri amore Christum persequeris,
Cuius fuisti tu antea discipulus ?
Et nunc incusas me spargere per compita
Fugisse post libros iudici traditos.
Vah ! apage a nobis, vir omnis mendacii,
Qui tot moliris detrimenta Ecclesiae.

SCENA IV.

OCRIS et DICTI.

OCRIS (*intus*).

Ad aulam me quid prohibetis ingredi ?
Volo !

MAXIMUS (*elata voce*).

Cuia vox ?

OCRIS (*introgrediens*).

Ocris, nuper proditor.
In hunc inertem sum grassatus gladio,
Quem nescio manu quis abstulit mea.
Vir altus, lucidis armis circumdatus,
Stetit, totumque reddit hunc incolumem.
« Ne ferias, inquit, Christus nam prohibet ! »
Relinquens longe coecos nos in tenebris,
Novam sed ille lucem nobis intulit.
Christus me corripit, dilapsus cecidi,
Et adoravi nescius novum Deum !
Volo hunc adorare, ausus sum quem persequi !

OMNES.

Portentum !

EUPLIUS.

Christi donum quam maximum !

MAXIMUS.

Tace, sis, virgarum seges ac scelerum !

OCRIS.

Fui ! queis me cumulas improperia
Haud te, Calvisiane a probro liberant.
Quis pretio mihi commisit scelera ?
Dedit pecuniam, plusque pollicitus ?
Nonne ipse ? Rectam qui mentem simulas,
Urbem dominaris, qui nobis imperas ?

CALVISIANUS.

Sunt istaec mentis somniantis somnia.
Ei vos fidem, cives, nunquam concedite ;
Alliciunt tuam mentem artes magicae,
Queis callere Christiani persolent ;
Ni tibi potius larga potatio....

OCRIS.

Tu nugas narras, verba vendis et nubila !
Placet mihi vinum, magis sed veritas.
Amabo vinum, quoniam veridicum,
Ecce necem placuit vobis concedere
Mihi sancti viri quem non odiverim ?

CALVISIANUS.

Enim quod nunc libet, face compendium.

OCRIS.

Quid ? Ut scias me fateri liberius
Crimen perpetrasse tuo consilio !

EUPLIUS.

Tibi, Deus, gratias ago quam plurimas,
Ipse qui filios generas a lapide !

CALVISIANUS.

Artes tuas, miser, cognovi pessimas.

MAXIMUS.

Qui pisces inde speras expiscarier.
Scio qua servi calleant astutia !

OCRIS.

Dic potius vos liberos ! Nam callidi
Vel ipso officio vos abutimini.
Aer si vestra declararet scelera
Ut nubes saepe caelum condit, sidera,
Dies se in noctem foetidam converteret.

MAXIMUS.

Ocris, plus aequo te sustinui. Tace.

OCRIS.

Facis tu quid placeat Caesari dummodo.
Mare et caelum tentas, nubes ipsas moves,
Et omne nefas per te velut fas erit !

CALVISIANUS.

Eum iam milites trudite in custodiam,
Ibique..... (*suspensus*).

OCRIS.

Semper exclamabo ad sidera
Esse Christum Deum Sanctum prae ceteris...
Prius reponam sed mercedem sceleris,
Quam vos dedistis mihi nuperius.
Ut ignis devorat iecur et viscera !
Abi, nunc merces, vestra sit damnatio. (1)

CALVISIANUS.

Ad te nunc venio ! Obedies Caesari ?
Christum de terris primus vult abigere.

(Ad proximum numerum).

(1) Dum milites eum rapiunt foras, iacit indignatus marsupium.